

SACRATISSIMUM ROSARIUM

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

*Plenaria indulgentia conceditur christifideli qui Rosarium mariale pie recitaverit
in ecclesia aut oratorio publico vel in familia.*

SIGNUM CRUCIS

In nomine Patris, ✠ et Filii, et Spíritus sancti.

Amen.

Deus, in adiutorium meum intende.

Domine, ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, et Filio, et Spíritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

AD CRUCEM: SYMBOLUM APOSTOLORUM

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli et terræ. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spíritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spíritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam æternam. Amen.

ANTE MYSTERIORUM CONTEMPLATIONEM

Ad nodum majorem: Oratio Dominica:

Pater noster qui es in cælis: sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cælo, et in terra.

Panem nostrum cotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.

Ad nodos minores: Salutatio Angelica (3), pro Fide, Spe et Charitate:

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, *Jesus.*

Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

Ad nodum majorem: Doxologia minor:

Gloria Patri, et Filio, et Spíritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

ROSARII CORONÆ MYSTERIA

Mysteria Gaudii	Mysteria Doloris	Mysteria Gloriæ
PRIMUM MYSTERIUM: Angelus Domini nuntiavit Mariæ.	I. – Jesus in horto Gethsemani orat.	I. – Jesus a mortuis resurgit.
SECUNDUM MYSTERIUM: Maria Elisabeth visitat.	II. – Jesus flagellis cæditur.	II. – Jesus cælos ad Patris gloriam ascendit.
TERTIUM MYSTERIUM: Jesus in Bethleem nascitur.	III. – Jesus spinis coronatur.	III. – Spíritus Paraclitus supra discipulos descendit.
QUARTUM MYSTERIUM: Puer Jesus in templo præsentatur.	IV. – Jesus cruce oneratus Calvariæ locum adit.	IV. – Maria Virgo in cælum assumpta est.
QUINTUM MYSTERIUM: Puer Jesus in templo invenitur.	V. – Jesus in cruce móritur.	V. – Maria Virgo in cælum regina coronatur.

AD SINGULUM MYSTERIUM

Enunciatio Mysterii et brevis mora cogitationis.

Ad nodum majorem: Oratio Dominica:

Pater noster qui es in cælis: sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cælo, et in terra.

Panem nostrum cotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.

Ad nodos minores: Salutatio Angelica (10):

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, *Jesus*.

Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

Ad nodum majorem: Doxologia minor:

Gloria Patri, et Filio, et Spíritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio Fátimæ:

O mi *Jesu*, dimitte nobis debita nostra, salva nos ab igne inferni, pèrduc in cælum omnes animas, præsertim illas quæ misericordiæ tuæ maxime indigent.

Oratio a Beata Maria Virgine revelata:

O Maria sine labe concepta, **ora pro nobis qui ad te confúgimus.**

Si Rosarium dicitur pro defuncto [vel pro defunctis]:

Requiem æternam dona ei [eis], Domine. **Et lux perpetua luceat ei [eis].**

Requiescat [requiescant] in pace. **Amen.**

SALVE REGINA

Salve, Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus, éxsules filii Hevæ. Ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia, ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes óculos ad nos converte. Et *Jesum*, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium, ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

LITANIÆ LAURETANÆ

Kyrie, eleison. Kyrie, eleison.	Vas spirituale, ƿ
Christe, eleison. Christe, eleison.	Vas honorabile, ƿ
Kyrie, eleison. Kyrie, eleison.	Vas insigne devotionis, ƿ
Christe, audi nos. Christe, audi nos.	Rosa mystica, ƿ
Christe, exaudi nos. Christe, exaudi nos.	Turris Davidica, ƿ
Pater de cælis, Deus, miserere nobis.	Turris eburnea, ƿ
Fili, Redemptor mundi, Deus, ƿ	Domus aurea, ƿ
Spíritus sancte, Deus, ƿ	Fœderis arca, ƿ
Sancta Trinitas, unus Deus, ƿ	Janua cæli, ƿ
Sancta Maria, ora pro nobis.	Stella matutina, ƿ
Sancta Dei Genitrix, ƿ	Salus infirmorum, ƿ
Sancta Virgo virginum, ƿ	Refugium peccatorum, ƿ
Mater Christi, ƿ	Consolatrix afflictorum, ƿ
Mater Ecclesiæ, ƿ	Auxilium christianorum, ƿ
Mater divinæ gratiæ, ƿ	Regina angelorum, ƿ
Mater purissima, ƿ	Regina patriarcharum, ƿ
Mater castissima, ƿ	Regina prophetarum, ƿ
Mater inviolata, ƿ	Regina apostolorum, ƿ
Mater intemerata, ƿ	Regina martyrum, ƿ
Mater amabilis, ƿ	Regina confessorum, ƿ
Mater admirabilis, ƿ	Regina virginum, ƿ
Mater boni consilii, ƿ	Regina sanctorum omnium, ƿ
Mater Creatoris, ƿ	Regina sine labe originali concepta, ƿ
Mater Salvatoris, ƿ	Regina in cælum assumpta, ƿ
Virgo prudentissima, ƿ	Regina Sacratissimi Rosarii, ƿ
Virgo veneranda, ƿ	Regina familiæ, ƿ
Virgo prædicanda, ƿ	Regina pacis, ƿ
Virgo potens, ƿ	Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Virgo clemens, ƿ	Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Virgo fidelis, ƿ	Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Spéculum justitiæ, ƿ	
Sedes sapientiæ, ƿ	
Causa nostræ lætitiæ, ƿ	

Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix.
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. – Deus, cujus Unigenitus per vitam, mortem et resurrectionem suam nobis salutis aeternae praemia

comparavit: concede, quæsumus, ut hæc mysteria sacratissimo beatæ Mariæ Virginis Rosario recolentes, et imitemur quod continent, et quod promittunt assequamur. Per Christum Dominum nostrum. **Amen.**

AD MENTEM SUMMI PONTIFICIS

Pater noster [...].

Ave Maria [...].

Gloria Patri [...].

INDULGENTIARUM NORMÆ

«Plenaria indulgentia conceditur christifideli qui Rosarium mariale pie recitaverit in ecclesia aut oratorio, vel in familia, in religiosa Communitate, in christifidelium consociatione et generatim cum plures ad aliquem honestum finem conveniunt [...]. Quoad indulgentiam plenariam pro recitatione Rosarii marialis hæc statuuntur:

a) sufficit recitatio tertiæ tantum ejus partis; sed quinque decades continuo recitari debent;

b) orationi vocali addenda est pia mysteriorum meditatio;

c) in publica recitatione, mysteria enuntiari debent juxta probatam loci consuetudinem [...]» (*Enchiridion Indulgentiarum*, 16 julii 1999, *Concessio XVII*).

«Ad indulgentiam plenariam assequendam, præter omnimodam exclusionem affectus erga quodcumque peccatum etiam veniale, requiruntur exsecutio operis indulgentia ditati et adimpletio trium condicionum, quæ sunt: sacramentalis confessio, communio eucharistica et oratio ad mentem Summi Pontificis» (*Enchiridion Indulgentiarum*, 16 julii 1999, *Norma XX*).

«Si concede l'indulgenza plenaria al fedele che recita devotamente il Rosario mariano in chiesa od oratorio, oppure in famiglia, in una Comunità religiosa, in una associazione di fedeli e in modo generale quando più fedeli si riuniscono per un fine onesto [...]. Quanto all'indulgenza plenaria, per la recita del Rosario si stabiliscono queste norme:

a) è sufficiente la recita della sola terza parte del Rosario; ma le cinque decenni devono recitarsi senza interruzione;

b) all'orazione vocale si deve aggiungere la pia meditazione dei misteri;

c) nella pubblica recita i misteri devono essere enunciati secondo l'approvata consuetudine del luogo [...]» (*Enchiridion Indulgentiarum*, 16 luglio 1999, *Concessione XVII*).

«Per ottenere un'indulgenza plenaria, è necessario, oltre che sia esclusa qualsiasi affezione a ogni peccato anche veniale, eseguire l'opera indulgenziata e adempiere tre condizioni: confessione sacramentale, comunione eucaristica e orazione secondo le intenzioni del Sommo Pontefice» (*Enchiridion Indulgentiarum*, 16 luglio 1999, *Norma XX*).